

68.

IN NOMINE JESU!
EXERCITATIONUM POLITICARUM
DISPUTATIO XIII.

De

JURE MAJESTATIS CON-
STITUENDI MAGISTRATUS, EXIGENDI
TRIBUTA ET VECTIGALIA, CUDENDI
MONETAM &c

Quam

PRÆSES

M. JOHANNES *Deutschnan*

Fac. Philos. Adj.

ET RESPONDENS

MATTHIAS *Schulke Jutroboe*

Sax.

proponere publicè ad d. 18. Jan.

hor. pomerid.

WITTENBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Academ. Typographi.

1739.

et. XXV. 67.

ll. diss. A
67

EXERCITATIONUM POLITICARUM
ORATIO

DE RE MAJESTATIS CON-
STITUENDI MAGISTRATUS EXCENDI
LIBERTATE ET JUSTITIA

M. JOHANNES SCHNEIDER



Druckort: Leipzig
1788



I. N. J.



Icut ardua in omnibus disciplinis
prolixiori consideratione sunt digna, ita Ma-
jestas idem in Politicis reportat præmium. Ma-
jestas maximè arduum est objectum, nihilque
reperitur, quod magis augustam possit repræ-
sentare faciem, aut saltem æqualem cum ea-
dem occupare gradum. Et jura, quæ Majestatis vocant, ob
nativam suam nobilitatem diligentem ibi postulant explica-
tionem, ut proinde non sit incongruum, hanc continuare ma-
teriam, neque infructuosum, eidem paulò accuratiorem ope-
ram locare. Bono igitur cum Deo, ad sequentia Majestatis jura
explicanda, calamus movemur.

1. Alterum *jus extreme provocationis* est. Hoc etiam jus Ma-
jestati Philos. lib. 4. Polit. c. 14. tribuit Et res ipsa videtur id po-
stulare. Prius enim de legibus jus vanum foret atque sine vacu-
um, nisi alterum hoc ipsi foret conjunctum. Leges enim sine
observatione nihil sunt, nec ullum in Republ. præstant usum,
sed maximum potius Majestatis afferunt contemptum. Extrema
igitur provocatio legibus est adjungenda, qua ultima executio
Magistratum, ad eos, penes quos est summa potestas, defer-
tur. Sicut enim Majestas in Republ. primum est, ita pariter
in eadem est ultimum. Cum igitur omnia ab eadem depende-
ant, eidem extremam provocationem adscribimus.

2. *Tertium* jus Majestatis dictum est *jus instituendi Magi-*
stratus. Magistratus quinam vocentur in Politicis, ex sequenti
de officialibus disputatione patebit. Hic loci in genere o-
mnes officiales nomine Magistratus indigitantur, cum nullus
in Republ. officialis sedem inveniatur, nisi à summa Majestate de-
pendeat. *Institutio* Magistratum itidem duplici sit modo, vel
immediato & principaliter, quando Majestas ipsa officiales cer-

eos eligit, & immediata opera eos instituit, vel *mediate & ministerialiter*, quando aliorum officialium opera, & quidem iam institutorum, utitur, ut certos Magistratus Reipublicæ ordinet, ne ullus in administratione ejusdem defectus appareat, sed quælibet officia suo debito vel modo, vel ordine expediantur.

3. Quod autem institutio Magistratum sit *jus* aliquod *peculiare*, nemini poterit esse obscurum (1.) *quia* Magistratum officium est certa quædam in Republica dignitas, quæ non à quolibet est conferenda, sed necessarium est, ut jus aliquod certum circa hujus dignitatis collationem attendatur. (2.) *quia* Magistratus circa publica versantur objecta: Ea verò, quæ publica sunt, nemo privato ausu tractare, aut dispensare potest: hinc manifestum est, certo jure quasdam personas publica auctoritate esse muniendas, & ad publica hæc objecta dirigenda vel administranda esse constituendas. (3.) *quia* magistratus in Republica sunt necessarij, eorumq; officia sunt utilissima. Quorum autem tanta est in civitate necessitas & maxima utilitas, illi non sine ordine, nec sine certo quodam jure in Republica vivant, unde tale jus omnino erit concedendum.

4. Porro *jus instituendi Magistratus jus Majestatis* dicitur (1) *ob Magistratum naturam*, quia Magistratus summæ Majestatis sunt instrumenta: instrumenta autem non aliunde, nisi à causa principali, suam obtinent dependentiam & instrumentalem essentiam, à qua etiam veram accipiunt energiam: unde constitutio Magistratus soli Majestati erit propria. (2.) *ob Magistratum potentiam*. Nulla enim potentia in civitate reperitur, quæ non à summa Majestate suam habeat originem, quia, ut ex definitione constat, *Majestas est summa potestas in civitate ubiq;.* Cum igitur vera etiam penes Magistratus sit potestas, hi necessario à summa Majestate sunt instituendi. Potestas enim Majestati *propria* est, magistratibus *communicata* seu aliunde collata: *primò* potestas est penes Majestatem, *ortam* autem potestatem Magistratus possident. (3) *ex Reipubl. definitione*. Nam in ea dicitur, quod à summa Majestate per intermedios Magistratus in omnes subditos sua gubernatio. Necessarium igitur est, ut
Ma.

Magistratus intermedij Majestati subdinentur, & ab eadem dignitatis suæ statum sortiantur. (4.) *Ex ipsa Magistratus descriptione.* Magistratus describitur, quod sit *potestas ordinaria ex lege ad gerendas res Reipubl. à Majestate summâ concessa.* In qua dilertis verbis proponitur, quod Magistratus (1) sit à Majestate summa (2) quod res gerat ex lege, & (3) quod potestatem concessam saltem obtineat. Hæc autem omnia confirmant, jus instituenti Magistratus penes Majestatem residere.

5. *Quartum jus Majestatis est de exigendis tributis & vectigalibus.* De *Tributis* notamus (1.) *quid sit tributum?* Varro describit *tributum*, quod sit *pecunia populo imperata, qua tributim à singulis proportionè census exigebatur.* Olim enim in certis tribus omnis dividebatur populus, quarum quælibet certam contribuebat pecuniam ad Reipubl. salutem. Unde *Tributum* non tam merces, quam personas & alia bona respicit, & in hoc à *vectigalibus* distinguitur. *Tributum* enim respectu bonorum & personarum extra mercium usum penditur, sed *vectigalia* respectu mercium importandarum & exportandarum, avehendarum & invehendarum, item curruum & equorum, penduntur.

6. (2) *An tributa sint solvenda?* Affirmativa hic nostra est (1.) *ex jure divino.* Nam Rom. XIII. tributorum solutio subditis imponitur. (2.) *Ex jure natura.* De apibus referunt naturalium rerum scrutatores, quod reges ne utquam laborent, vel mellis succum colligendo, aut aquam apportando, vel alio etiam modo, sed quod certo subditorum vivant tribute, qui ipsos sequuntur, eosque de nutrimentis prospiciunt. (3.) *Ex jure gentium.* Nulla enim gens adeo barbariei fuit studiosa, ut suis regibus debita tributa denegaret, cum horum tanta sit necessitas, ut nec Respubl. sine iisdem consistere queat.

7. (3.) *Unde tributum sit solvendum?* Magna quidem conceditur rerum varietas, adeoque nec tributorum perpetua datur conformitas, interim tamen species principales enumerari solent; quod tributum solvatur (a) *à personis*, quando singuli subditorum personæ suæ censum solvunt. Dicitur Germanis die *Kopffsteuer.* (b) *à terra alijsq; immobilibus bonis, qualia*

lia sunt ædificia, & vocatur vulgo die Landsteuer. (γ) à cerevisia, quod hinc dicitur die Biersteuer. (δ) ab illis, quæ alicui regioni sunt propria: hinc in locis metallicis, in salifodinis &c. tributa specialia exiguntur. (ε) à mercatura, quam nim. quilibet mercator domi suæ exercet. (ζ) ab opificijs; hinc in quibusdam locis singulis opificibus certa tributa imponuntur (η) à pecoribus &c.

8. (4.) *Cur tributa sint exigenda?* Non equidem ut reges luxuriæ indulgere, & in delicijs vivere queant. Hinc recte Boleslaus I. rex Polon. dicebat: *Malle se gallina vespertem, salutem & tranquillitatem civium suorum tueri, quam delicijs indulgentem pati, ut quisquam opprimeretur.* Et Alexander Severus, nefas esse, dixit, ut dispensator publicus in delectationes suas, suorumve converteret id, quod provinciales dedissent. Neque propterea tributa sunt subditis imponenda, ut maxima auri copia cogatur. Divitiarum enim thesaurus, non in repositione, sed in usurpatione consistit. Sed solvenda sunt tributa (1.) propter Reipubl. salutem. Hæc enim in omnibus est spectanda, & semper attendenda, quia omnium actionum politicarum est finis atq; scopus. Hinc recte Arnif. c. II. de summ. potest. *Tantum licet Regi pro Reipubl. utilitate tributa imperare.* (2.) propter status civilis conservationem. Nam impossibile est, ut sacris tributis non illatis, alioquin Respubl. conservetur, inquit Just. Nov. 149. c. *Ac sane.* (3.) propter murorum & civitatis restitutionem. Ex iisdem, inquit Imperat. d. Novell. *muri & civitates restituantur, atque commoda Reip. procurantur, ut quæ à subditis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos impendantur.* (4.) propter Principis vel etiam Majestatis sustentationem. Cum enim privatis non possit operam dare, qui totam vitam publicis tribuit negotijs, ideo Magistratus non potest ea, quæ victus & amictus, itemque autoritatis conservandæ gratia sunt necessaria, studiosè curare, unde meritò de publico vivat necessum est, qui bono publico unicè inservire tenetur.

9. (5.) *Quantum tributi sit subditis imponendum?* De Margaretha, Regina Norwagiæ, Daniæ & Sueciæ, refert Job. Mag. lib. 21. cap. 19. quod gravissimo tributo subditos onerârit,
exi.

exigendo certam pecuniam pro quavis jumenti cauda, pro fo-
 co quolibet florenum, marcham i. Stockolmiensem à quovis
 conjugro. *Heliogabalus* Dijs suis fecit nuptias, ut ijs pro dote
 pecuniam elaboraret. *Flavius* ab urina precium emunxisse le-
 gitur. At si principum clementiam, itemque subditorum re-
 verentiam & obedientiam respicimus; longe aliud ipsa æquitas
 postulare videtur. Patriæ pater princeps est: pater liberos suos
 non perdit, sed nutrit, non spoliat, sed ornat, hunc igitur pa-
 tris morem principes æmulari tenentur. Hinc recte scribit
Arnis. l. d. Mediocritas, si ullibi alàs, in tributis spectanda est. Mül-
si enim principes pecunijs acerbè conquirendis plus invidiæ sibi,
quam virium addiderunt Tacit. 3. hist. Vulgus enim pecunias amat
vita impensus, ut Timocles ait apud Stobæum, ideoq; citius se vitam,
quam pecunia exui patitur. Unde Romani bello Panico secunda
pecuniam mutuo à civibus sumere maluerunt, quam tributum ex-
torquere Liv. lib. 26. Et Mahometus in agone id unicum conquestus
est, quod semel injustum tributum exegerit, unde Comin. l. 10. bell.
Gall. infert. non licere principi, nisi summa urgente necessitate, no-
va tributa imponere.

10. (6.) *An sæpius subditis tributum sit imperandum? Vide-*
 tur equidem plausibilis ratio affirmativæ favere, quia hac rati-
 one ærarium publicum augetur, ut nervi rerum gerendarum
 sint in promptu, adeoque tempore necessitatis statim adhiberi
 possint. *Verum* ut non sunt facienda mala, ut inde eveniant
 bona: ita etiam subditis rerum gerendarum nervus non est adi-
 mendus, ut ærarium publicum augeatur. Satis enim ærarij
 habet princeps, si subditos divites obedientesque sibi subiectos
 habeat. Lucrum igitur, quod ex tali expilatione subditorum
 expectari potest, non est fructuosum sed damnosum. Dist. ta-
 men est inter tributum *necessarium & non necessarium; ordinari-*
um & extraordinarium, vetus & novum: illud omnino requiri-
 tur, ut salutis publicæ ratio attendatur, sed non necessaria e-
 xtraordinaria & nova tributa subditis non sunt imperanda, (1)
quia omne novum periculosum esse videtur (2.) quia qui hoc
modo subditos de pauperat, etiam Rempul. de pauperat, ut po-
te quæ maximam partem ex subditis constare dicitur. (3.) quia
 Prin

princeps hac ratione omnium odia in se derivat, & non querelis tantum dat occasionem, sed etiam subditis viam parat ad seditionem. (4) *quia* nullum violentum diuturnum. Subditi autem tributa sæpius imperata coactè solvunt, & primam ad rebellionem occasionem postea apprehendunt, id quod sapientissimus etiam agnovit *Proverb XXX. 33. Qui nimis emungit, elicit sanguinem.* Hoc non tantum *physicè* de naso verum est, sed etiam *politice* de tyrannica expilatione subditorum valet. Nam qui nimis tributis & expilationibus emungit subditos, elicit sanguinem, dum motibus & tumultibus intestinis dat occasionem, & sibi ipsi sæpius interitum accelerat.

II. Unum denique adhuc restare videtur, An nim. *exigendi tributa & vectigalia sit jus Majestatis?* Affirmativa veritatis obtinet patrocinium (1.) *quia* tributa præstare est subjectionis signum, adeoque in imperante aliquod inde Majestatis colligitur indicium (2) *quia* tributa sunt pecuniæ publicæ ad status publici conservationem pertinentes, neutiquam igitur illorum impositio alij præter Majestatem est committenda. (3.) *quia* tributa sunt universalialia, omnesque in omnibus locis subditos concernunt: at nemo præter Majestatem potest ejusmodi universalialia tributa imperare. (4.) *quia* necessitas ipsa requirit, ut majestas tributorum solutionem exigat, si velit autoritatem suam salvam & Reipublicæ statum integrum. (5.) *quia* reliqua Majestatis jura idem exigunt. Exercet Majestas jus instituendi Magistratus; at nullus Magistratus absque salario Reipublicæ negotijs inservire poterit. Hæc autem salaria Majestas non aliunde nisi ex tributis aut alijs redditibus publicis distribuat necessum est. Jus tractandorum armorum Majestatis est. At rem stultam aggreditur, qui bellum sine pecunia gerere conatur. Idem de plerisque alijs Majestatis juribus censendum.

12. *Quintum Jus Majestatis est jus tractandorum armorum.* Quod armorum potestas detur in Republica, illud probatur (1.) *ex civitatis definitione.* Definitor civitas, quod sit *societas perfecta ex pluribus pagis omnibus copijs sufficienter instructa, vivendi quidem gratia constituta, consistens autem bene vivendi gratia.* Si perfecta est societas in civitate, sequitur etiam, quod societas

cietas

Civitas militaris in eadem reperiatur. Præterea si omnibus copijs est sufficienter instructa, armorum, munitionem aliarumque rerum bellicarum copiarum etiam in eadem reperiuntur. Denique si bene vivendi gratia civitas consistit, facile colligitur, quod etiam armorum tractatio sit necessaria, cum sæpius sine armorum usu bene vivere non possumus. (2) *è Republicæ natura.* Nam quod publicum est bonum, illud etiam Republicæ statui non est denegandum. At bellum omnium confessione est publicum quid, cum certum sit, quod à personis publicis indicatur & geratur, & alios respectus publicos inferat. (3.) *à necessario.* Quia bellum sæpius in Republica ita est necessarium, ut nequaquam illud vel sine insigni civitatis detrimento, vel sine plenario etiam interitu omittere queamus.

13. Hæc autem potestas armorum *jus Majestatis* est (1.) *ex Majestatis descriptione*: quia Majestas est summa potestas, etiam belli potestas ad Majestatem pertinebit. Et cum ubique hæc potestas obtineat, etiam in bellis Majestas omnia disponet. (2.) *Ex belli conditione.* Quia bellum publicum quid est; ea autem, quæ publica sunt & dicuntur, Majestatis sunt axiomata. (3.) *Ex belli origine.* Quia bellum non nisi à Majestate instituitur, miles à Majestate conferbitur, & omnia, quæ bellica sunt, Majestati suam debent originem. Hinc facile colligitur, quod hoc jus non possit ad aliud, præter Majestatem, principium referri. (4.) *Ex armorum utilitate.* Utilitas enim armorum sese extendit ad totam Rempublicam. Ea vero, quorum utilitas se ad totam Rempublicam extendit, non possunt ad aliquod principium vel secundarium, vel privatum referri, sed potius primum aliquod & publicum principium requirunt, non immerito ad Majestatem ipsam pertinere dicuntur. (5.) *ex bellorum dignitate.* Tanta enim belligerandi est eminentia & bellatorum dignitas, ut non possint eam ab aliquo privato vel inferiori communicatam possidere. Majestas est, quæ tantam dignitatem Ducibus bellicis tribuit, eosque honore dignissimos esse statuit. (6.) *Ex experientia.* Hanc si consulimus videmus Reges & principes, aliasque liberas Respublicas arma tractare, rusticos vero, cives, aliosque privatos domesticis & privatis negotijs vacare, (7) *ex autoritate.* Valent. & Valens rescripse.

runt l. Nulli C. ut armor. us. Ne cuiquam inscia & inconsulta maje-
 state quorum libet armorum movendorum copia tribueretur. Et refe-
 rente Martiano Lex ff. ad l. Jul. Majest. hoc ex legibus XII. tab. de-
 scripserunt. Plato l. 12. de legibus: si quis consilio suo absq. autoritate
 communi pacem inivit, aut bellum movit, ultimo supplicio conde-
 mnatur. Hinc Philos. lib. 7. Polit. c. 9. scribit: Qui in manu sua habent
 arma, in eorum arbitrio est, ut maneat, vel non maneat Respubli-
 ca. Extat apud Plin. lib. 34. c. 14. Edictum Pompeji in tumultu ne-
 eis Clodianæ, prohibentis ullum telum in urbe esse, & l. Jul. de
 vi publ. tenebatur, qui arma, tela domi suæ, agrove in villa præ-
 ter usum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerit l.
 Julia ff. ad l. Jul. de vi public.

14. Consistit autem hoc jus tractandorum armorum
 (1) in belli indictione: De jure gentium enim hoc est, ut sine cla-
 rigatione non aliter inferat bellum. (2) in militis collectione.
 (3) In armorum comparatione & armamentarij publici constitutio-
 ne. (4) in belli administratione &c. sed quia de bello peculiari dis-
 sertatione sumus aliquid dicturi, hic plura non adjicimus.

15. Sextum est Jus Cudendi Monetam. Moneta à monendo
 nomen accepisse fertur, vel quod admoneat nos subjectionis pro-
 pter inscriptionem. Effigies enim monete impressa notat,
 nos sub potestate aliena versari, & ad obsequiosam subjectionem
 penitus principi obligatos esse: vel quod admoneat justitiam
 & equitatem. Equum sc. esse & justitiæ commutativæ con-
 sentaneum, ut mercibus acceptis justam solvamus pecuniam.
 Ab alijs dicitur à manendo, quod maneat & publicâ autoritate
 provideat, ne quid fraudis in ære, pondere aut mensura fiat.

16. Monetarum materiam quod concernit, ea apud di-
 versos populos fuit diversa. Ab alijs adhibitum est aurum, quia
 est preciosissimum metallum, & sua preciositate rerum preci-
 ositatem facile mensurat. Alij usi sunt, & adhuc utuntur ar-
 gento, quod inter metalla, quantum ad preciositatem, secun-
 dum obtinet locum, adeoque rerum etiam non difficulter at-
 tingit æstimium. Cuprum etiam antiquiores monete loco ad-
 hibuerunt, nec adhuc hodie usus ejus expiravit. Utuntur eo
 Sæci, Gorbi, Itali, alijque populi, & in electoratu Brandenb.

maximè

maxima monetarum ex hoc metallo confectarum copia conspicitur. *Stannum* etiam apud *Synacusios* fuit Monetæ instar adhibitum, teste *Philos. l. 2. Oecon. c. 1. Ferrum* licet vilissimum, respectu reliquorum sit metallum, tamen ejus usum *Clazomenij* probarunt, & ferreos nummos loco monetæ usurparunt, teste *Arist. d. l. Apud Spartanos corium* fuit adhibitum, ex quo monetæ sunt excusæ. Quæ consuetudo olim etiam regnavit in *Suecia*. Apud *Tartaros Catharinos chartacea* moneta fuit in usu. Hi enim cum præter chartaceos quadratos, regisque sigillo notatos nummos alios non haberent, vetustate absumptos in aulam regis referebant, pro iisdemque novos recipiebant, ut habet *Arnis. l. 2. de jur. Majest. c. 7.*

17^a Hujus autem materiæ, quæ monetæ loco adhibetur, requisita sunt (1) *dignitas*. Cum enim sit jus Majestatis cudere monetam, is majestatem lædit, qui monetam contemnit. Et plerumque vel principis effigies expressa, vel sigillum Reipublicæ aut principis habet notatum, hanc igitur inscriptionem reverenter tractare subditi tenentur. (2) *Utilitas*. Nam *Arist. l. 1. Pol. c. 9.* requirit, ut moneta sit è numero utilium adeò, ut licet valor monetæ esse desinat, utilitatem omnem tamen non amittat. Talem utilitatem præstant aurum, argentum &c. chartacei vero & coriacei nummi nihil utilitatis continere videntur. (3) *Communitas*. Cum enim moneta sit instrumentum publicorum contractuum, omnibus in Republica communis esse debet, quò eò feliciores contractus subditi instituerè possint. *Prætereà* etiam moneta à summa Majestate descendit, ea verò, quæ Majestatis sunt effecta, publica sunt & communia, omnesque subditos obligant. (4) *æqualitas*. Cum enim in contractibus justitia commutativa arithmeticam proportionem observatam velit, ex parte emptoris & venditoris æqualitas requiritur, ut justa ab utroque adhibeatur proportio, ne alter in sine commodum, alter verò in sine aliquod damnum percipiat. (5) *Duratio*. Hoc enim videtur multum utilitatis afferre Reipublicæ, si monetæ sint perpetuæ, nec singulis, vel mensibus vel annis mutantur. Ut enim omnis mutatio dicitur periculosa, ita monetarum mutatio est damnosa. Facile enim ex divite fit pauper, & ibi

& in contractibus publicis atque civilibus multus committitur error, si frequens fiat monetarum mutatio.

18. *Jus autem signandi monetam est Majestatis axioma* (1) *quia* moneta Reipublicæ bonum est: Reipublicæ autem bona à Majestate suam habent originem. (2.) *quia* signum publicum imprimere, eique valorem & dignitatem per omnem civitatem conciliare, itidem ad Majestatem pertinet. (3) *quia* post leges nihil magis in Republ. est necessarium, ut habet *Bodin. l. i. de Republ. c. 10.* sicut igitur jus ferendi leges verum est jus majestatis, ita jus cudendi monetam, non debet ad aliud principium referri. (4.) *quia* salus Reipublicæ etiam à Monetis dependet. Salutis autem publicæ cura, ejusque administratio Majestati propria est, si fundamentum respicere velis. (5) *quia* *Carolo M. tam sanctū atq; augustum fuit, ut nullibi, quam in ipso palatio monetam cudi voluerit.* Sicut & *Repub. Romanorum in æde Junonis Monetalis cudebatur, cui præfecti erant Triumviri monetæ æris, auri argentique latores.* (6.) *quia, qui monetam, licet probam, cudunt, crimen læsæ Majestatis committunt. l. 2. C. de fals. monetæ* (7.) *quia* privatus privato nihil præscribere potest, adeoq; ipsi nec monetam obtrudere debet. Sola majestas, quæ in Republ. faciendæ & observandæ præscribit, jus cudendi monetas possidet, omnibusque valorem monetarum exhibet. (8.) *quia* in jure Civili dicitur, Imperatores Romanos sibi curam nummorum reservasse l. 2. C. de fals. monetæ. (9.) *quia* si privatis hoc jus committeretur, sæpius fraus in cudendis monetis adhiberetur, & multiplex oriretur confusio, aliæque incommoda. Integrum hoc jus Majestatis etiam alijs communicari potest, præsertim in mixto Imperio. Ita in Germania multis civitatibus jus cudendi monetam est concessum, sed revera est concessum, non verò ipsis proprium.



Coll. diss. A. 25, misc. 67